




RENATUS UGLIONE

TERTULLIANUS IN SECUNDAS NUPTIAS

EX II LIBELLO COMMENTARIORUM
QUI LATINITAS INSCRIBUNTUR
MENSE IUN. A. MCMLXXIX EDITO

TERTULLIANUS IN SECUNDAS NUPTIAS

Quaestio de nuptiis iterandis post mortem coniugis minime quidem iam nostrae aetatis Christianos movet trahitque, ut super-
vacanea et desueta videatur: tamen aliquamdiu *vexatissima quae-*
stio fuit inter Patres, diversa saepiusque opposita acie constitutos,
hodieque nullius momenti non est, quippe quae testetur quantam
vim *ascetismus* in antiquam Ecclesiam exercuerit.¹

Ut inter omnes constat, Paulus (ad quem provocant tam secun-
dum matrimonium concedentes quam revocantes), etiamsi virgi-
nitatem affirmet matrimonio esse potiolem, matrimonium attamen
remittit viduae continentiam aegre ferenti.²

Apostolo tam aperte planeque locuto, Patribus perdifficile est
secundas nuptias post viduitatem omnino reicere: Tertullianus

¹ Cum longius quidem sit opera omnia colligere quae de matrimonio
et secundis nuptiis *ascetismo*que apud Patres scripta sunt, nonnulla tantum
e praecipuis hic enumeranda videntur:

a) De matrimonio et secundis nuptiis, generatim:

L. GODEFROY, *Mariage (dans les Pères)*, s.v., in *Dict. Théol. Cath.* 9/2
(1927); A. OEPKE, *Ehe*, s.v., in *Reallex. f. Ant. u. Christ.*, 4 (1959); C. TIBILETTI,
Matrimonio e verginità in antichi scrittori cristiani, in *Annali Fac. Lett. e*
Fil. di Macerata, 2 (1969), pp. 9-217; H. CROUZEL, *L'Eglise primitive face au*
divorce, Paris 1971; E. BELLINI, *Separazione e nuovo matrimonio nella Chiesa*
antica, in *La Scuola Cattolica*, 3 (1975), p. 376 sqq.; AA.VV., *Etica sessuale*
e matrimonio nel Cristianesimo delle origini, a cura di R. Cantalamessa,
Milano 1976.

b) Apud Tertullianum:

A. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien*, Paris 1905, p. 370 sqq., 460 sqq.;
P. DE LABRIOLLE, *La crise montaniste*, Paris 1913, p. 374 sqq.; H. KARPP,
Schrift und Geist bei Tertullian, Gütersloh 1955, pp. 14-15.

c) De ascetismo:

H. STRATHMANN, *Askese*, s.v., in *Reallex. f. Ant. u. Christ.*, 1 (1950); W.
GRUNDMANN, 'Εγκράτεια, s.v., in *G. Less. N. Test.* (trad. ital.), 3 (1967); E.
BUONAIUTI, *Le origini dell'ascetismo cristiano*, Pinerolo 1928; K. HEUSSI, *Der*
Ursprung des Mönchtums, Tübingen 1936; P. NEGEL, *Die motivierung der*
Askese in der alten Kirche..., (TU 95), Berlin 1966; L. BOUYER, *Histoire de*
la spiritualité chrétienne, I. *La spiritualité du Nouveau Testament et des*
Pères, Paris 1966²; S. FRANK, ΑΓΓΕΛΙΚΟΣ ΒΙΟΣ, Münster 1964; F. MARTINEZ,
L'ascetisme chrétien pendant les trois premiers siècles de l'Eglise, Paris 1913.

² Cf. 1 Cor. 7, 8-9 (cf. huius pericopes Tertullianeam interpretationem in
Monog. 3, 2 sqq.); *ibid.* 39-40 (cf. *Monog.* 11, 3 sqq.); Rom. 7, 2-3 (cf. *Monog.*
13, 2 sqq.).

ipse non reicit, nisi ad Montani dogmata conversus. Ceteri autem eas admittunt, etsi cunctantes. Nonnulli (ut Origenes, Iohannes Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus) discrepantiam quandam animadvertunt inter matrimonium iteratum et praeceptum illud *Genesis* 2, 24.³ Ceteroqui qui novum matrimonium mavult inire, procul dubio inferiorem statum sibi eligit: de hoc quidem cuncti Patres consentiunt. Inhonestam enim ducunt secundi matrimonii causam a Paulo illatam (continentiam scilicet aegre susceptam), ut tantummodo *remedium concupiscentiae* hoc matrimonium arbitrentur. Sic enim sentiunt Clemens Alexandrinus,⁴ Origenes⁵ et Patres qui Cappadoces dicuntur⁶ Iohannesque Chrysostomus.⁷ Ambrosius a Paulo non recedit, qui Apostoli verba ita interpretatur: « Quod tamen pro consilio dicimus, non pro praecepto imperamus, provocantes potius viduam quam ligantes; neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus ... Plus dico: non prohibemus secundas nuptias sed non probamus saepe repetitas; neque enim expedit quidquid licet ».⁸

³ Ita Tertullianus quoque sentit: cf. *Monog.* 4, 2: « adiecit et legem de futuro, siquidem propheticè dictum est: "Et erunt duo in unam carnem", non tres, neque plures » (cf. quoque *Ux.* I 2, 1; *Exh. cast.* 5, 1-2). In referendis Tertullianeis locis adhibita est editio: *Tertulliani opera*, I-II, *Corpus Christianorum*, Turnhout 1954.

⁴ Cf. *Strom.* III 1, 4, 3 (ed. O. Stählin. GCS, Lipsia 1906): ἡμεῖς εὐνουχίαν μὲν καὶ οἷς τοῦτο δεδῶρεται ὑπὸ θεοῦ μακαρίζομεν, μονογαμίαν δὲ καὶ τὴν περὶ τὸν ἕνα γάμον σεμνότητα θαυμάζομεν, συμπάσχειν δὲ δεῖν λέγοντες καὶ « ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζειν », μὴ ποτέ τις « δοκῶν » καλῶς « ἐστάναι » καὶ αὐτὸς « πέσῃ ». Περὶ δὲ τοῦ δευτέρου γάμου « εἰ πυροῖ » φησὶν ὁ ἀπόστολος « γάμησον ».

Bibl.: TIBILETTI, *Matrimonio e verginità ...*, p. 49 sqq.; J. P. BROUDÉHOUX, *Mariage et famille chez Clément d'Alexandrie*, Paris 1970.

⁵ Cf. *In Ierem. hom.* 19, 4.

Bibl.: H. CROUZEL, *Virginité et Mariage selon Origène*, *Museum Lessianum*, sect. théol. 58, Paris-Bruges 1963.

⁶ Mire quidem noveque Basilius Gregoriusque Naz. secundas seiungunt a tertiis (quartis, etc.) nuptiis: hae πορνεία κεκολασμένη (BAS., Ep. 188, 4, ed. Y. COURTONNE, B. Lettres, II, 1961) habentur: χοιρώδης (GREG. NAZ., Orat. 37, 8: PG 36, 291) qui eas contrahit.

⁷ Cf. *In illud: Vidua eligatur*, 5, 6; *De virginitate*, 37; *De non iterando coniugio*, 1 (ed. J. DUMORTIER, Paris 1955).

Bibl.: A. MOULARD, *Saint Jean Chrysostome, le défenseur du mariage et l'apôtre de la virginité*, Paris 1923; K. TSOUROS, *La dottrina sul matrimonio in S. Giovanni Crisostomo*, in *Asprenas*, 21 (1974).

⁸ *De viduis* 68: PL 16, 254.

Bibl.: R. D'IZARNY, *La virginité selon Saint Ambroise* (Thèse pour le doctorat en théologie), I-II, Lyon 1952; G. OGGIONI, *Matrimonio e verginità presso i Padri*, in *Matrimonio e verginità. Saggi di teologia*, Venegono Inf. 1963, pp. 297-304.

Hieronymus vehementi in contentione contra Iovinianum non numquam ad Tertullianum accedit: « Verum fac ut concesserit Paulus secunda matrimonia; eadem lege et tertia concedit, et quarta, et quotiescumque vir moritur. Multa compellitur Apostolus velle quae non vult ... Non damno bigamos, immo nec trigamos et, si dici potest, octogamos; plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio paenitentem. Quidquid aequaliter licet, aequali lance pensandum est ».⁹ Indulgentia quaedam denique invenitur apud Augustinum ab omni interdictione dissuasioneve abhorrentem: « quis sum qui putem definiendum quod nec Apostolum video definisse? ».¹⁰

Verum, ne longius quam decet prolabar, iam nos ad Tertullianum venire oportet, qui pressius ad nostram commentationem attinet. Quattuor opuscula (ex quibus primum deperditum¹¹) quae ad secundas nuptias spectant, una cum crebris excursibus ad easdem pertinentibus qui in aliis operibus colligi possunt,¹² plene planeque ostendunt quantum pondus huic quaestioni tribuat Tertullianus. Quae opuscula, *Ad uxorem*, *De exhortatione castitatis* et *De monogamia* inscripta, varia testantur momenta religiosi processus nostri auctoris: primum enim ex his in catholica opera est ascribendum,

⁹ *Adv. Iovin.* 1, 5 (PL 23, 234). Cf. quoque *ibid.*, 37 (PL 23, 262-263): « Concedit quidem Deus nuptias, concedit digamiam, et, si necesse fuerit, fornicationi et adulterio praefert etiam trigamiam. Sed nos ... non quid concedat Deus, sed quid velit consideremus ... Quod concedit, nec bonum, nec beneplacens est, nec perfectum ... Aliud est voluntas Dei, aliud indulgentia » (vide similia argumenta apud Tertullianum: *Ux.* I 3, 2 sqq.; *Exh. cast.* 3, 6 sqq.; *Monog.* 3, 2 sqq.: « possum dicere: quod permittitur, bonum non est », *Ux.* I 3, 4); *ibid.* 1, 16 (PL 23, 236): (in arca Noë) « in duplici numero ostenditur aliud sacramentum, quod ne in bestiis quidem et in immundis avibus digamia comprobata sit » (cf. TERT., *Monog.* 4, 5: « Etiam in ipsis animalibus monogamia recognoscitur, ne vel bestiae de moechia nascerentur. *Ex omnibus*, inquit, *bestiis ex omni carne duo induces in arcam* ... Quid amplius dicam? Immundis quoque alitibus cum binis feminis introire non licuit »).

¹⁰ *De bono viduitatis* 15 (PL 40, 439).

Bibl.: B. ALVES PEREIRA, *La doctrine du mariage selon St. Augustin*, Paris 1930; N. LADOMERSZKY, *Saint Augustin, docteur du mariage chrétien*, Roma 1942; J. MAUSBACH, *Die Ethik des heiligen Augustinus*, Freiburg 1929²; J. PETERS, *Die Ehe nach der Lehre hl. Augustinus*, Paderborn 1918; R. SIMON, *Sexualité et mariage chez Saint Augustin*, in *Le Supplément*, 109 (1974), pp. 155-176.

¹¹ *Ad amicum philosophum de angustiis nuptiarum*: cf. testimonia in HIER., *Ep.* 22, 22 et *Adv. Iovin.* 1, 13.

Bibl.: C. TIBILETTI, *Un opuscolo perduto di Tertulliano: Ad amicum philosophum*, in *Atti Accad. Scienze di Torino*, 95 (1960-61), pp. 122-126.

¹² Cf. *Marc.* I 29; IV 11, 6-9; IV 23, 7; V 7, 5-8; V 15, 3; *An.* 27, 4-9; *Carn. Chr.* 4; *Res.* 5.

cetera autem in montanistica. Verumtamen hic processus haud multa vestigia in his opusculis relinquit, cum Tertullianus, ad Christi fidem conversus, continuo tam immoderatae continentiae faverit ut, Montani sectam secutus, sententiam suam de secundis nuptiis minimum immutarit.¹³ Plerasque enim argumentationes in recentioribus opusculis adductas iam libellus *Ad uxorem* large copioseque profert:¹⁴ in quo attamen perseverantiam in viduitate potio-rem tantum is affirmat, non praecipit: « nam etsi non delinquas renubendo ... »;¹⁵ postquam vero a Catholica Ecclesia ad Paracleti discipulorum agmen defecit, consilium in praeceptum convertit.

Sed hoc quidem mirabilius, si haec scripta attente perpendas, quod auctor noster ambiguus et discors in matrimonium quoque se praebeat. Profecto is dictitat nuptias se damnare non velle, sed tantum iisdem modum imponere,¹⁶ reapse quot sententiae discrepantes, quot maledicae criminationes in nuptias ipsas inveniri possunt in eo! Qui nullam praetermittit occasionem quin matrimonium moneat non nisi remedium concupiscentiae esse,¹⁷ immo

¹³ Cf. DE LABRIOLLE, *La crise ...*, p. 393: « Pour le fond des choses, le Montanisme n'a guère modifié les idées de Tertullien ... Le Montanisme n'a ... fait ici que rendre sa pensée plus catégorique, et plus brutalement hautaine ».

¹⁴ Cf., ex. gr., *Ux.* I 1, 6 « Quaestio Sadduceorum cessit sententiae Domini » (cf. *Monog.* 7, 2 sqq.); 2, 1 « Nam et Adam unus Evae maritus et Eva una uxor illius: una mulier, una costa » (cf. *Exh. cast.* 5, 1-2; *Monog.* 4, 2-3); 3, 3 « Quod denique scriptum est *melius nubere quam uri*, quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat, ut ideo melius sit nubere, quia deterius est uri? ... Possum dicere: quod permittitur bonum non est » (cf. *Exh. cast.* 3, 6 sqq.; *Monog.* 3, 2 sqq.); 4, 1 sqq. « Sed carnem legimus infirmam et hinc nobis adulamur in quibusdam ... » (cf. *Monog.* 14, 5 sqq.; 15; 16); 5, 1 sqq. « Addicunt quidem sibi homines causas nuptiarum de sollicitudine posteritatis ... » (cf. *Exh. cast.* 9, 5; 12, 3; *Monog.* 16, 4 sqq.); 5, 4 « Tempus in collecto est »: argumentum eschatologicum (cf. *Exh. cast.* 4, 2; 6, 1; *Monog.* 3, 8; 7, 4 sqq.; 11, 4); 6, 1 « Quodsi hi qui habent (*scil.* matrimonia) obliterare debent quod habent, quanto magis non habentes prohibentur repetere quod non habent? » (cf. *Exh. cast.* 4, 3; *Monog.* 3, 1; 3, 10; 7, 4); 6, 4 et 7, 5: exempla ethnicorum (cf. *Exh. cast.* 13; *Monog.* 17); 7, 4 « Quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplina ecclesiae et praescriptio apostoli declarat, cum digamos non sinit praesidere, cum viduam adlegi in ordinem nisi univiram non concedat » (cf. *Exh. cast.* 7, 2 sqq.; *Monog.* 11, 1; 11, 4; 12), etc.

¹⁵ *Ux.* I 7, 3.

¹⁶ Cf. *Marc.* I 29, 4: « nubendi iam modus ponitur, quem quidem apud nos spiritalis ratio paraceto auctore defendit, unum in fide matrimonium praescribens ».

¹⁷ Cf. *Monog.* 3, 1: « etiamsi totam et solidam virginitatem ... Paracletus hodie determinasset, ut ne unis quidem nuptiis *fervorem carnis despumare*

« genus mali inferioris », ¹⁸ ad libidinem luxuriamque explendam idoneum. ¹⁹ Re quidem vera ille magnis est in angustiis, utpote qui tum matrimonium defendat contra haereticos Marcionitas, ²⁰ tum fastidio quodam eiusdem afficiatur, eschatologica ratione. Nam, cum unum finem matrimonio proponat, procreationem videlicet (ex praecepto *Genesis* 1, 28), ²¹ iam nullam invenit causam cur nuptiae probentur, quandoquidem « tempus in collectum est »: nuptiae necessariae quondam fuerunt, « quia adhuc vetus illa benedictio decurrere habebat: *Crescite et redundate* ... At ubi et *Crescite et redundate* evacuavit extremitas temporum, inducente apostolo: *Superest ut et qui habent uxores sic sint ac si non habeant, quia tempus in collectum est* ... »: ²² « ut opinor autem — ait Tert. —

permitteret ... », *Ux.* I 3, 2: « apostolo permittente ... nubere ... propter insidias temptationum ».

¹⁸ Cf. *Exh. cast.* 3, 8: matrimonium « non tam bonum est quam genus mali inferioris » (= *Monog.* 3, 5).

¹⁹ Cf. *Ux.* I 1, 4-5: « Praecipio igitur tibi ... post excessum nostrum renunties nuptiis ... Nihil tunc inter nos *dedecoris voluptuosi* resumetur. Non enim *tam frivola, tam spurca* Deus suis pollicetur »; *Exh. cast.* 9, 3: « Quae res et viris et feminis omnibus adest ad *matrimonium et stuprum*? Commixtio carnis scilicet ... »; *Monog.* 10, 8: « ceterum non est exclusus, si *a viliori commercio carnis discessit* ».

²⁰ « Marcion totum concubitus auferens fidelibus ... repudium ante nuptias iubens » (*Marc.* V 7, 6): « nuptias non coniungit, coniunctos non admittit, neminem tingit nisi caelibem aut spadonem » (*ibid.* IV 11, 8).

Contra Marcionitas Tertullianus defendit igitur sanctitatem nuptiarum: « natura veneranda est, non erubescenda ... benedictus status apud Deum: *Crescite et multiplicamini* » (*An.* 27, 4); « non abnuimus coniunctionem viri et feminae benedictam a Deo ... » (*Ux.* I 2, 1); « hanc venerationem naturae, Marcion, despuis, et quomodo natus es? odis nascentem hominem, et quomodo diligis aliquem? » (*Carn. Chr.* 4, 2).

Bibl.: A. V. HARNACK, *Marcion: Das Evangelium vom fremden Gott*, (TU 45), Leipzig 1924², p. 328 sqq. (de contentione inter Marcionem et Tertullianum).

²¹ Cf. *Ux.* I 2, 1: « *coniunctionem viri et feminae benedictam a Deo ut seminarium generis humani* »; *Exh. cast.* 6, 2: « *concubitus seminarium generis* ». Eadem sentiunt, ex. gr., Athenagoras (*Suppl.* 33), Iustinus (*Apol.* 1, 29), Minucius (*Oct.* 31, 5), Lactantius (*Div. inst.* VI 23, 17), Clemens Alexandrinus (*Strom.* 23, 143, 2; III 6, 52, 1; III 11, 71, 4; III 15, 96, 2: oportet uti ἐγκρατῶς τῷ γάμῳ ἐπὶ παιδοποιίᾳ μόνῃ) Origenes (*In Genes.* hom. 5, 4), Hieronymus (*Ep.* 66, 3), Ambrosius (*Ep.* 42, 3: « Bonum coniugium, per quod est inventa posteritas successionis humanae ... », ed. O. FALLER, CSEL 82, 1968), et alii. De Augustino, cf. E. S. LODOVICI, *Sessualità, matrimonio e concupiscenza in S. Agostino*, in AA.VV., *Etica sessuale e matrimonio* ..., pp. 212-272.

²² *Monog.* 7, 3-4. Cf. *Exh. cast.* 6, 1-2: « Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere? Sane licebit ... si etiam nunc locus est vocis illius: *Crescite et multiplicamini*, id est, si nondum alia vox supervenit, *tempus iam in collecto esse* ... Utique enim continentiam indicens et com-

unius et eiusdem Dei utraque pronuntiatio et dispositio est, qui tum quidem in primordio sementem generis emisit, indultis coniugiorum habenis, donec mundus repleretur ..., nunc vero sub extremitatibus temporum compressit quod emiserat et revocavit quod indulserat ». ²³ Duo sunt igitur loci quibus Noster innititur in edisserendo de matrimonio: *Gen.* 1, 28 (*Crescite et redundate*) et *1 Cor.* 7, 29-31 (*Tempus in collectum est. Superest ut et qui habent uxores sic sint ac si non habeant*): alter procreationem imponit, alter revocat, cum παρουσία immineat. ²⁴

Quam ob rem Tertullianus anceps et incertus in nuptias perpetuo apparet: quas simul obsoletas et vacuas ducit « sub extremitatibus temporum », simul firmiter defendit, necessitate coactus, ne in Marcionitas ascribatur: hac de causa en quam praecelesis laudibus egregie eas mireque concelebrat: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet? ... Quale iugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinae, eiusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi; nulla spiritus carnisve discretio, atquin vere duo in carne una. Ubi caro una, unus et spiritus: simul orant, simul volutantur, simul ieiunia transigunt, alterutro docentes, alterutro exhortantes, alterutro sustinentes. In ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis. Neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis

pescens concubitus, seminarium generis, abolefecit *Crescite* illud et *multiplicamini*»; *Cult. fem.* II 9, 6: « Nos uti monet (Apostolus) mundo isto, quasi non abutamur. Praeterit enim — inquit — habitus mundi huius ... tempus in collecto est ... uxores quoque ipsas sic habendas demonstrat tamquam non habeantur, propter angustias temporum ... »; *Ux.* I 5, 1: « Quid gestiamus liberos serere ... respectu scilicet imminentium angustiarum ...? »; *ibid.* I 5, 3: « An nubamus quotidie et nubentes a die illo timoris deprehendamus ut Sodoma et Gomorra », (cf. *Exh. cast.* 9, 5; *Monog.* 16, 4).

²³ *Exh. cast.* 6, 2: cf. *Marc.* I 29, 4 « Si nubendi iam modus ponitur ... eiusdem erit modum figere, qui modum aliquando diffuderat ... is caedet silvam, qui plantavit; is metet segetem, qui seminavit; is dicet: *superest, ut et qui uxores habent sic sint atque si non habeant*, cuius et retro fuit: *crescite et multiplicamini* ».

²⁴ Cf. *Apol.* 21, 15: « secundo (scil. adventu) qui concludendo saeculo imminet »; *Spect.* 30, 1: « in proximo est adventus Domini »; *Res.* 22, 2: « in adventum, opinor, Christi nostra vota suspirant, in saeculi huius occasum »; *Ux.* I 5, 1: « cupidi et ipsi iniquissimo isto saeculo eximi et recipi apud Dominum ».

est ... Sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Domino suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet. His pacem suam mittit. Ubi duo ibi et ipse: ubi et ipse ibi et malus non est ».²⁵

Contra saepe, cum auctor noster nuptiis virginitatem opponit, quaedam in has horridiora verba palam produnt eius contemptum: ut, ex. gr., in libello *De exhortatione castitatis*, ubi primas una cum secundis nuptiis improbat « quasi species stupri »:²⁶ « Ergo, inquit, "iam et primas, id est unas nuptias destruis?" Nec immerito, quia et ipsae ex ipso eo constant probro, quo et stuprum. Ideo *optimum est homini mulierem non attingere*, et ideo virginis principalis est sanctitas, quia caret stupri affinitate ».²⁷

In opusculo quoque cui *De monogamia* index est haec manet discrepantia, cum Tertullianus unas nuptias defendat contra « haereticos » (Marcionitas) et « psychicos » (Catholicos)²⁸ itemque, ut malum, eas respuat: « *Bonum*, inquit (scil. Apostolus), *homini mulierem non contingere*. Ergo malum est contingere. Nihil enim bono contrarium nisi malum.²⁹ Denique cum dicit: *Melius est nubere quam uri*, quale id bonum intellegendum, quod melius est poena? Quod non potest videri melius nisi pessimo comparatum? Bonum illud est quod per se hoc nomen tenet, sine comparatione, non dico mali, sed etiam boni alterius, ut et si alio bono comparatum adumbretur, remanet nihilominus in boni nomine ».³⁰

Huc accedit quod pleraque argumenta ibi adducta ancipita ac dubia sint, aptaque non tantum ad secundas, verum etiam ad primas nuptias infitiandas, adeo ut Tertullianus callide secundas nuptias adoriri videatur, quo facilius matrimonii ipsius oppugnet institutum.³¹

RENATUS UGLIONE

²⁵ *Ux.* II 8, 6-9.

²⁶ *Exh. cast.* 9, 1. Vide etiam locos in adnot. 19.

²⁷ *Exh. cast.* 9, 4.

²⁸ Cf. *Monog.* 1, 1-2: « Haeretici nuptias auferunt, psychici ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt ... Nos autem (scil. *Spiritales*, i.e. *Paracleti discipuli*) ... *unum matrimonium novimus*, sicut unum Deum ».

²⁹ *Monog.* 3, 2. Cf. quoque *Exh. cast.* 3, 7-10.

³⁰ *Monog.* 3, 4.

³¹ Cf. ex.gr., argumenta eschatologica quae supra illustravimus, tam secundas quam primas nuptias refutantia, vel capitula 8 et 17 libelli de quo agitur, ubi monogamiae exemplis specimina perfectae continentiae vafre permiscuntur.